



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 49. Veralli Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

§. XLIX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.*Veralli Cardinalis obitus.*

Hoc anno ex Cardinalibus nonnisi uni- *Ciacon. in  
cum fatis functum reperio Hiero-  
nymum Verallum patria Romanum, ac  
Joannis Baptiste Veralli, & Juliæ, quæ  
Dominici Jacobatii Cardinalis Soror  
erat, Filium. Is natus erat Anno In-  
carnationis Dominicæ millesimo quin-  
gentesimo atque emenso humaniorum  
literarum curriculo non sine ingenti  
progressu Juris prudentiæ studio ope-  
ram navabat, ac meritorum suffragio ut-  
riusque, ut vocant, Signaturæ Refe-  
rendarius feligebatur. Postea Fori Tri-  
ventinorum, & Casertanus Episcopus,  
necnon perpetuus Rossanensis Archi-  
episcopatus Administrator electus, tan-  
dem Capitaquensi Ecclesiæ tanquam  
Præsul præfuit: Cum autem Anno post  
Christum natum millesimo quingente-  
simo trigesimo sexto sub Paulo III. Pon-  
tifice Maximo Venetiis Sedis Aposto-  
licæ Legatum ageret, septem primos  
S. Ignatii socios, cum prius vo-  
luntariæ paupertatis votum nuncupas-  
sent, Sacris Ordinibus initiabat: Ro-  
mam vero redux ab eodem Pontifice  
in Germaniam ad Ferdinandum Regem  
ablegabatur, ut Ioanni Morono Muti-  
nensi Episcopo, qui ad Cardinalium*

T 3 digni-

**Sæcul. XVI.** dignitatem erat electus, succederet,  
A.C. 1555. ast paulo post Sedis Apostolicæ Nuntius  
 speciatim ad Carolum V. Cæsarem in  
 Religionis negotio decernebatur, quo  
 munere tanta prudentia, ac zelo fun-  
 gebatur, ut in meriti sui præmium ab  
 eodem summo Pontifice Romana pur-  
 pura decoraretur Anno Salvatoris nostri  
 millesimo quingentesimo quadragesimo  
 nono, quo Paulus III. die octava Apri-  
 lis octava jam vice Cardinales creabat.  
 Obtinebat tum Verallus titulum S. Mar-  
 tini in montibus: paulo post vero idem  
 a Julio III. Legatus in Franciam ad  
 Henricum II. mittebatur, ut hunc Prin-  
 cipem ad pacem inclinaret, ac Parmen-  
 sis, & Mirandulani belli flamas ex-  
 tinqueret. Inde reversus relicto Eccle-  
 siæ suæ titulo illum S. Marcelli optabat,  
 renuntiatusque fuit signaturæ Præ-  
 fectus, quo etiam manere functus Ro-  
 mæ die undecima Mensis Octobris An-  
 no millesimo quingentesimo quinage-  
 simo quinto animam Deo reddidit an-  
 nos natus quinquaginta quinque, se-  
 pultusque est in Ecclesia FF. Eremitarum  
 S. Augustini, ubi adhucdum se-  
 pulcralis ejus inscriptio legitur. Inter-  
 fuit quoque Sacris comitiis, in quibus  
 Julius III. Marcellus II. & Paulus IV.  
 Pontifices eligebantur. Scripsit quo-  
 que quasdam epistolas ad Petrum Are-  
 tinum.

§. L.